

simul existunt. Similiter si quis numerum huc velit referre, non constat ille partibus positionem habentibus, quia partes non cohaerent, unde numero *πεξίς* potius, quam *σίσις* seu positio convenit: idem de oratione dicendum.

18. Sequuntur *εξαρτησιν*, consequentiae seu Proprietates (non tamen omnes strictè sic dictae) quantitatis. Primum *εξαρτησιν* est: Quantitati nihil est contrarium.

19. Nota 1. Contraria dupliciter sumuntur (1.) strictè, quatenus sub eodem genere maxime distant & se mutuò ex subjecto pellunt, vid. l. cat. XI. l. 10. Met. 6. (2.) *latius* pro oppositis. Quantitati nihil est contrarium, scilicet strictè acceptà voce contrarii: latius verò si contrarium sumatur, quantitati quoque competit, cum negari non possit, ei aliquid quocunque modo opponi.

20. Nota 2. Quantitatem considerari posse duobus modis, 1. per se, ut est quantitas. 2. ratione qualitarum, quae eà mediante insunt substantiae. Cum dicitur, quantitati nihil esse contrarium, id intelligendum est de quantitate per se, ut est quantitas; per accidens autem quantitati omnino aliquid est contrarium, e. g.